

**JULII. TOMUS SEPTIMUS. VIGESIMA
NONA DIES.
DE S. OLAVO, REGE ET MARTYRE,
NIDROSIAE IN NORVEGIA.
ACTA BREVIA**

**Auctore anonymo, ex Passionali
pergameno Ms. cœnobii Bodecensis.**

CAPUT I.

**Sancti conversio;
labores ejus apostolici non minus quam regii;
martyrium.**

[Prædicatur Norvegis Euangelium:] Regnante illustrissimo rege Olavo apud Norwegiam, quæ est terra prægrandis, versus Aquilonem locata, a meridie Daciam habens, eandem ingressi sunt terram pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Hactenus sacrilegis idolorum mancipatæ ritibus & superstitiosis erroribus delusæ nationes illæ, veri Dei fidem & cultum audierant quidem, sed multi suscipere contempserant: sicut enim loca Aquiloni proxima inhabitabant, ita familiarius eas possederat, & tenaciori glacie infidelitatis astrinxerat Aquilo ille, a quo panditur omne malum super universam faciem terræ, & a cujus facie ollam succensam vidit Jeremias, & qui in Isaia jactanter profert: Super astra cæli exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti; in lateribus Aquilonis. Ceterum magnus Dominus & laudabilis nimis, qui de lateribus Aquilonis ædificavit civitatem suam, austri placido flamine Aquilonis dissipavit duritiam, & gentium efferarum obstinatos ac feroces animos calore fidei tandem emollivit. Audierunt auditum

a Domino, & legatos ad illas gentes misit præcones verbi sui, qui veritatem, quæ est in Christo Jesu, partibus illis prædicarent, culturam everterent idolorum, credentibus vitam indeficientem & gaudia æterna promitterent, incredulos & rebelles futuri judicii & perennis supplicii metu deterrent.

[2] Huic tunc, ut diximus, provinciæ præerat rex Olavus; [& baptizatur Rotomagi S. Olavus,] qui licet gentilis, natura tamen benignus erat, & ad honesta quæque sequenda quadam mentis ingenuitate promptissimus. Hic, evangelicæ veritatis sinceritate in Anglia comperta, fidem toto admisit pectore, & ad Baptismi gratiam in urbe Rothomagi devota animi alacritate convolavit. Purificatus igitur lavacro salutari, repente mutatus est in alium virum; & juxta quod Apostolus ait, consepultus Christo post Baptismum in mortem, oblitus quæ retro sunt, in anteriora se extendens, in novitate vitæ, susceptæ religionis perfectissimus observator, ambulabat. Sordebat ei omnis, vana delectatio, & terreni regni gloria præ dulcedine cælesti vilescebat: in regali fastigio constitutus, spiritu pauper erat; & terrenis negotiis implicatus, nihilominus meditabatur cælestia: quidquid divina lex prohibet, vehementer abhorrebat; quidquid præcipit, ardentissimo complectebatur affectu.

[3] Nec propria salute contentus, populos, quibus, divina dispensante providentia, præstitutus erat, [rex idem & apostolus subditorum,] ad fidem vigilantem convertere nitebatur instantia; & novo rerum ordine rex, apostoli vice fungens, ipse dux verbi, Christi gratiam passim omnibus prædicabat; nonnullos etiam prædicationis gratia, quæ diffusa erat in labiis ejus, a nefandis dæmonum cultibus ad agnitionem & reverentiam sui Creatoris reduxit; nonnullos ad seculi contemptum & amorem supernæ patriæ mirabilis ejus devotio & vita continentissima medullitus inflammavit. Cujus enim obstinationem, cujus

duritiam insignissimi Regis sermo dulcis & sapientia plenus spirituali non frangeret? Cujus torporem vel desidiam conversatio singularis illius non excitaret?

[4] Verumtamen in medio nationis pravæ & perversæ positus, [etiam ejus pietati adversantium,] licet multos converteret; quam plurimos tamen habebat adversarios fortes & potentes; in quibus majorem locum sibi vendicabat voluntas, quam pietas vel ratio; animi præceps impetus, quam amor veritatis. Hi nobilissimi Christi Martyris prædicationi & operibus sanctis, totis nisibus obviabant, & vias Domini rectas evertere conabantur. Justus autem, ut leo confidens, absque terrore erat; & juxta exemplum beati Job, non expavescebat ad multitudinem nimiam, nec despectio propinquorum terrebat eum, nec adversantium minis vel insidiis averti poterat a prædicationis constantia.

[5] Jesu bone! Quantos labores, quantas persecutiones sustinuit, antequam populum incredulum, & sibi contradicentem a sua posset perversitate deflectere? Datum siquidem erat illi, [ethnicos plurimos convertens,] non solum ut Christum crederet, sed etiam ut pro illo pateretur; nec solum pati, nec solum temporalis regni diadema pro Christo paratus erat deponere; sed etiam martyrii per coronam ad perennium gloriam gaudiorum pertingere enixius desiderabat. O quam devotæ charitatis flagrantia; quantus fidei servor excellentissimi Christi Martyris pectus accenderat! Qui in medio gentium indomitarum constitutus (quibus, juxta Salomonem, confidentibus in stultitia sua minus erat tutum occurrere quam ursæ sævienti raptis catulis) non cessabat tamen salutare fidei verbum, quod abhorrebant, publice & privatim quantiscumque posset ingerere. Plurimum profecit in brevi, & innumerabilem Domino multitudinem acquisivit: confluebant ad Baptisma certatim populi, & numerus credentium augebatur indies: effringebantur

statuæ; succidebantur luci; evertabantur delubra; ordinabantur sacerdotes, & fabricabantur ecclesiæ; offerebant donaria populi cum devotione & alacritate; erubescabant idolorum cultores; confundebantur qui confidebant in sculptili, & in multis illius regionis partibus, infidelium depressa multitudine, non audens omnis iniquitas, oppilabat os suum.

[6] [& leges condens vere Christianas.] Exultabat Rex plus quam credi potest, laborum suorum gratissimos fructus jam in præsentī percipiens: non cessabat autem indefessus Euangelii prædicator nunc obstinatos convincere, nunc instruere rudes, nunc in fide teneros confirmare: nihil regii fastus, nihil tyrannidis in suos exercebat subditos; imo omnibus exempla præbebat magnæ humilitatis & mansuetudinis. In futurum etiam provinciis, quibus præerat, providens, ne nobiliores quique & potentiores per potentiam humiliores opprimerent, leges divinas & humanas multa plenas sapientia & mira compositas discretione scripsit & promulgavit; in quibus suum cuique conditioni jus assignavit. In illis etiam, quantum liceret prælatis in subjectos, & quantam subjecti reverentiam exhiberent erga prælatos, certis limitibus discrevit. Ibi modestissimus & æquissimus arbiter sapienter considerans, plerumque reges potestate sibi concessa superbe abuti in subditos, legum rigore regalem coërcuit & refrænavit licentiam. In illis legibus claret, quam devotus erga Deum, quam benignus erga proximum Rex gloriosus extiterit.

[7] [Tandem ab adversariis in Russiam fugere cogitur;] Explicari verbis non potest, quanta beneficia populis illis Rex sæpe nominatus contulerit; quantum profuit, dum præfuit, & in promulgatione legum, & in sustentatione pauperum, & assiduitate prædicationis, & exemplo suæ sanctissimæ conversationis. Sed e converso perpessus est ab eis tribulationes multas & malas; donec illorum

multitudini resistere non valens; secessit in Rusciam, opportunum ratus cedere tempori, donec voluntati suæ ac proposito tempus idoneum Dominus conferre dignaretur. Nemini veniat in mentem, fortissimum & constantissimum Christi Athletam, ut est infirmitatis humanæ, cessisse perterritum metu passionis, qui sæpenumero passioni se sponte objecerat, sicut rei exitus & illustre martyrium ipsius declaravit; utilitati aliorum, opportuniori se reservavit tempori, quando fructus uberiores exhibere Domino, & talentum sibi commissum multiplici resignare posset cum usura.

[8] Clarissimus igitur Christi Martyr ingressus Rusciam, & a Jarzellano * ejusdem provinciæ rege magnifico gloriose susceptus, [unde rediens ad martyrium viam sternit,] & in honore amplissimo, quamdiu ibi morari voluit, habitus est. Ibi non parvo tempore demoratus, honestæ vitæ formam, & suæ religionis, caritatis, benignitatis & patientiæ celebre monumentum incolis reliquit. Denique decoctus igne persecutionis & exilii, acceptabilis inventus & idoneus, qui majora certamina posset sustinere, divino inspiratus instinctu per Sueciæ fines ad propria remeavit. Ibi collata sibi a Domino abundantiore gratia, a multis cum magno susceptus desiderio, graciosus & optabilis bonis, verendus atque terribilis apparuit sanæ doctrinæ adversariis. Indutus igitur lorica fidei, & accinctus gladio spiritus, quod est verbum Dei, per infamiam & bonam famam, per gloriam & ignobilitatem, per arma justitiæ a dextris, & a sinistris orator egregius fidei verbum constanter ubique in via disseminabant; paratus pro Christo pati quaslibet persecutiones, objiciebat se sponte periculis, martyrium, si Deo placuisset, suscipere non recusans.

[9] Et quoniam dignus est operarius mercede sua, tandem Domino placuit Agonistam suum de carcere carnis educere, [cujus palmam a subditis seditiosis] ut

plenissimam & superabundantem laborum suorum reciperet mercedem, & Regem rex videret in decore suo. Erat quædam pars illius terræ, in qua modo sanctissimum corpus ejus requiescit, cujus incolæ, indurati & pertinaces in malitia sua, veritatis, & ideo Regis, hostes erant inexorabiles: in hanc venit provinciam Christi Martyr, forte Dei gratiam populiis incredulis prædicaturus: quo comperto, veritatis hostes convocaverunt consilium iniquitatis; convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus: erat namque ejus salutifera prædicatio ipsis & eorum operibus valde contraria. Unde quidam ex eis, cuidam * Kanuti, ejus adversarii, muneribus corrupti; quidam vero solius malitiæ instinctu, sed & novam religionem, paternis scilicet legibus contrariam, suscipere recusantes, ordinato exercitu in loco, qui nunc Sticlastadt appellatur, ignorantem & a sua gente aliquantulum distantem, bello excipiunt: sed illustrissimus Martyr, qui totus suspensus in cælestia, per martyrii coronam illuc pervenire intimis desiderabat præcordiis, a facie multitudinis non timuit: imminet illi bellum quod amator pacis suscepit, pro justitia & æquitate pugnaturus. Exercitu itaque, quantum in brevi potuit, congregato, obviat inimicis.

[10] Porro Dominus, qui Martyri suo mercedem, pro quo tot agones pertulerat, [statim obtinuit, invitatus ante a Christo.] reddere, & gloriam suam, quam diutius & avidius sitierat, jam revelare decreverat, ut gloriosius eum coronaret, iniquorum jaculis gloriosum Martyrem occumbere permisit. Occubuit autem quarto Kalendas Augusti, feria quarta, millesimo & vicesimo octavo anno ab Incarnatione Domini, pro fidei defensione ab inimicis fidei crudeliter interemptus, feliciter de castris ad æterna Regis palatia, de bello migrans ad pacem, quæ exsuperat omnem sensum, ad laudem & gloriam Christi. Amen. Nocte igitur præcedente diem, qua Martyr inclytus passus est, apparuit illi Dominus Jesus, verbis

consolatoriis illum demulcens: **Accede, inquit, ad me, Dilecte mi, ut laborum tuorum fructus dulcissimos carpas, in sempiterna lætitia nostro fruens consortio. Qua visione admodum confortatus, passioni se lætus obtulit, jam divinitus sperans scalam, quam in somnis nuper ad cælos erectam viderat, per quam ad dulcedinem, quam gustaverat, feliciter erat ascensurus.**

ANNOTATA.

End Notea Nempe sub Olavo Tryggonis filio, Norvegiæ rege; cujus maximas laudes ex eo petunt Norvegi, quod religionem ipsis Christianam annuntiari curaverit. Vide ejus elogium & vindicias, adversus Adamum Bremensem, Saxonem Grammaticum aliosque, apud Torfæum Hist.

Gentilis non erat amplius, cum regnum obtinuit; sed tamen paulo ante fuerat.

Hinc de illo Saxo Grammaticus lib. 10, Ab eodem quoque, inquit, pauperibus protectio, pupillis tutela, sacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentia lacessitis subsidia præbebantur. Præterea ex gremio ejus, veluti quodam munificentiae fonte, complura alia virtutum spectacula manaverunt. Hæc hactenus; quia publica cultu consecrata pietas privatæ laudis egena non est.

CAPUT II.

Miracula mortem ejus consecuta.

[Cæco visus, elinguibus loquela reddita:] Evoluto itaque passionis illius tempore, cum corpus ejus regales lavissent ministri, projecta est ante ostium aqua, mixta sanguine, qui de vulneribus Beatissimi fluxerat. Transiens itaque ante ostium quidam cæcus, casu prolapsus est in locum, qui adhuc aqua infecta sanguine madebat; cumque digitos madefactos eadem aqua ad oculos suos

reduxisset, illico, detersa caligine, lumen pristinum recepit. Qui certius explorans miraculum, se per beati martyris Olavi meritum visum recepisse, cognoscit. Unde cum ipso omnes audientes miraculum, divinam pietatem & Martyris meritum dignis extulere præconiis.

Pueri cujusdam, falso impetiti crimine (ut sæpe fert justus crimen impii) lingua abscissa est. Hic fama miraculorum, quæ per sancti Olavi merita fieri frequenter audierat, excitatus, ad memoriam Martyris venit; Sanctum multis efflagitat lacrymis, altis exorat gemitibus, ut loquendi officium, quod injuste perdiderat, suo restituat interventu. Factumque est, ut qui ad sepulchrum Sancti mærens & elinguis venerat, ad sua cum gaudio libere loquens remeaverit.

Alter quidam a Slavis captus, abscissa lingua, forte elapsus est. Hic ad memoriam Martyris veniens, & ut linguæ suæ pristina redderetur sanitas, cum intima cordis contritione postulans, usum loquendi, quem amiserat, recepit, seque in ecclesia eadem perenni obsequio Martyris mancipavit.

[12] [contracta, cæci, mutus, debiles sancti:] Mulier quædam adeo deformiter contracta, ut pedes ejus clunibus adhærerent, ad sepulchrum Martyris allata est; ubi cum in lacrymis & obsecratione jugi perseverasset diutius, integræ sospitati reddita, extensis nervis, erectis tibiis, confortatis pedibus, & singulis membris officio suo & formæ redditis, hilaris & gaudens ad propria repedavit.

Anno igitur, quo beati martyris Olavi basilica novo principatus & pallii vestitur honore, inter crebras populorum confluentias adsunt quidam tres debiles ex longinquo, varia corporum ægritudine laborantes; qui pariter ad ecclesiam beati Martyris venientes, ipsius obtentu sperabant, se ea die gratiam sospitatis

potissimum impetrare; qua idem Martyr carnis jura pro Christo solvens, gaudium suscepit æternaliter permansurum: erat namque inter eos quidam cæcus, qui in ipsa Martyris vigilia visionis lætitia meruit consolari. Die vero sequenti, cum processionis officia solemniter agerentur, & in cimiterio feretrum more solito deponeretur, mutus quidam locutionis gratiam recepit, ejusque detenta lingua, officia in laudem Salvatoris gaudens laxavit.

Mulier etiam quædam, a Suevorum e finibus longe profecta, ad limina sancti Martyris orationum causa decrevit proficisci; quæ licet in itinere tam cæcitatibus, quam laboris pateretur incommoda, fide tamen robusta & spe confortata, iter complevit aggressum: quæ cum natalis illius die gloriosam ingrederetur basilicam, & sacrosancta Missarum celebrarentur officia, visionis optatæ lætitiâ, quam ab annis tredecim amiserat, meruit recipere.

[13] Varingus quidam in Ruscia servum emerat, bonæ indolis juvenem, [item mutus.] sed mutum; qui dum nihil de seipso profiteri posset, cujus gentis esset ignorabatur: ars tamen, qua erat instructus, inter Varingos eum conversatum fuisse prodebat: nam arma, quibus illi soli utuntur, fabricare noverat. Hic cum ex venditione dominia diversa probasset, ad mercatorem quemdam postmodum devenit, qui ei pietatis intuitu jugum laxavit servile. Hic optata libertate potitus, in civitatem devenit, quæ Holingard appellatur, & in domum cujusdam religiosæ matronæ hospitalitatis gratia susceptus, per dies aliquos mansit. Mulier autem in beati martyris Olavi honore existens sedula, ad singulas horas in ejus ecclesia orationibus incumbere. Nocturni igitur temporis hora visus est a se videri beatus martyr Olavus, præcipiens sibi, ut præfatum secum puerum ad ecclesiam deducat: quod statim ad matutinales horas properans exequitur.

Cumque in ecclesiam venirent, puer haud diu moratus, sopore resolvitur; & qui mulieri prius apparens, curandum ad ecclesiam adduci præcepit, vultu & habitu probatur postmodum, divina favente gratia, curationem puero apparens contulisse.

[14] Erat in Hybernia quidam dux, Guthorinus nomine, [Victoria insignis] natione Noricus, scilicet beati Olavi nepos, vir genere præclarus, & armis potens. Hic cum rege Bibliniæ Margado fœderatus, & quadam familiari societate convinctus erat. Contigit autem, ut ambo pariter in expeditione cum numerosa classe profecti, inde multis opibus locupletati reverterentur. Quodam die, dum spolia inter se divisuri convenissent, videns Rex prædam innumerabilem, amore cupiditatis cæcatus est: proponit duci, ut eligat unum e duobus quod velit; Aut, inquit, omnia cum navibus relinques spolia, aut a me bellum tibi illatum sustinebis. Inter has positus dux Guthorinus angustias, quid eligat, nesciebat: relinquere prædam cum navibus turpe sibi & indecorum nimis videbatur, bellum suscipere periculosum admodum erat: erat enim inter exercitus grandis distantia: rex enim quindecim naves habuisse dicitur; dux vero tantum quinque.

[15] Dux itaque anxius Guthorinus biduanas petit inducias; si forte tyrannum a nequitia excogitata posset deflectere: [obtenta, invocato Sancto.] nam eodem die erat vigilia beati Olavi regis & martyris. Postquam vero animum barbari nullis potuit precibus emollire, elegit honeste mori, quam cum dedecore tanto & infamia sui generis, spolia sua tyranno cum navibus relinquere: sed, quia humanum deerat, divinum implorat auxilium, & beatum Olavum, ut sibi succurrat, deprecatur, promisitque, se in ecclesia Martyris crucem facturum argenteam, si se de manu regis perfidi liberaret. Quid multa? Ordinato exercitu, inimicis occurrit agminibus, & fortissime dimicans, ope Christi & gloriosi Martyris

interventu totam barbarorum multitudinem prostravit. Inopinata autem potitus victoria, cum lætitia ac multis spoliis reversus, crucem fecit argenteam miræ magnitudinis, longe humani corporis molem excedentem, & posuit eam in ecclesia beati Martyris ad corpus ejus, in divini triumphii & inopinatæ victoriæ, quam per merita ejus obtinuerat, monumentum.

[16] [Festum ejus violans duplici miraculo punitur.] Erat in Dacia præpositus quidam, vir odibilis & pravus, & ut de iniquo legitur iudice, Deum nec homines reverens; hic ancillam habebat natam in provincia beati martyris Olavin; & hæc erat erga venerationem Sancti devotissima. Præpositus autem ille, ut erat homo perversus & nequam & qui laudes bonorum ingenti depravaret studio, non credebat his, quæ de Martyre dicebantur; sed quidquid de miraculis ejus & gloria communis divulgabat assertio rumore, fictitium & ridiculum æstimabat. Contigit autem, ut passionis ejusdem Regis & Martyris annua reverteretur solemnitas, quam cum magna veneratione regionis illius homines celebrant. Vir ergo pessimus ad ostendendam malitiam suam inveniens tempus idoneum, pravitatem, quam pridem in corde tractaverat, in opere demonstravit: non solum enim noluit exhibere reverentiam Sancti natalitio; sed etiam ad contemptum illius, præfatæ mulieri, quam erga venerationem Martyris ceteris devotiorem compererat, præcipit, ut in ipso festivitatis die panes deferat, ad coquendum. Illa, quia perversitatem hominis noverat, & se tormentis sciebat affligendam gravissimis, nisi obsecundaret illius scelerati imperio, licet invita, sacrilegis mandatis obtemperat; panes defert ad clibanum: læsa vehementer, crebris gemitibus Sanctum interpellans, testatur quoque, & juramento confirmat, se numquam deinceps delaturam honorem Martyri, nisi certis declararet indiciis in tanta necessitate virtutem suam. O recens, & ante tempus illud inauditum miraculum! Uno eodemque momento & homo

**nequissimus percutitur cæcitate, & panes in clibano positi
convertuntur in lapides. Adhuc ex illis lapidibus unus in
miraculi testimonium & memoriam in beati basilica
reservatur Martyris. Amen.**